

Poterit igitur, non obstante peccato, esse *rationabilis* in eo sensu, quod seclusa lege humana, materia non esset inepta ad consuetudinem circa illam introducendam. (Idem c. 6.) Sed ea consuetudo est *irrationabilis*, quæ vel propter malitiam intrinsecam repugnat legi naturali aut Juri positivo Divino, vel habet aliquam indecentiam ob quam inepta, inutilis, noxia censetur; ut si præbeat occasionem et licentiam peccandi, *si per eam dissolvatur nervus ecclesiasticæ disciplinae* secundum quod dicit Can. *Cum inter*, 5, de *Consuet.* Prudentum igitur iudicio relinquitur rem æstimare ab effectu morali.

Nonnunquam ipsa lege canonica consuetudo rejicitur ut irrationabilis, quando nempe expressè vel implicite ab ea reprobatur, notaturque ut *corruptela*, ut *abusus*, ut quid *enervans disciplinam*. Id verò lex canonica interdum pronuntiat, non quia usus de se est absolutè malus et noxius; sed quia repugnat illi severitati, illi decentiæ, illi religioni, quam lex ipsa vult inducere vel tueri. Et ita explicatur quomodo consuetudo tali tempore notata ut irrationabilis, postea, mutatis circumstantiis, evadere possit rationabilis. Si lex canonica consuetudinem tantum abroget, aut ei deroget, non eo solo eam censetur declarare irrationabilem, ut omnes colligunt ex cap. *Licet Romanus*, 1, de *Constitut.* in VI. "Consuetudinibus et statutis locorum, dummodo sint rationabilia non censetur Pontifex per constitutionem a se noviter editam derogare, nisi expressè caveatur."

Requirunt 2.º Jus canonicum, ut ea consuetudo *contra legem sit legitime præscripta*; id est ut sine interruptione duraverit per tempus requisitum, sive ad obligationem inducendam, sive ad tollendam: porrò diversa duratio temporis requiritur: 1.º si superior ignoret consuetudinem, quæ contra legem vigentem se ingerit; 2.º si superior noverit, nec positivè obsistat, licet nec consentiat; 3.º si agatur de lege nova, necdum usu recepta.

In *prima hypothesisi*, communis est sententiæ, si credatur Suaresio, in legibus canonicis requiri tempus quadraginta annorum ut consuetudo contra illas censeatur debite præscripta. Nam ita decernit caput *Illud*, 8, de *Præscript.* "Illud autem se scire volumus et tenere, quod adversus Ecclesias minorem præscriptionem quàm quadraginta annorum Romana Ecclesia non admittit; et Ecclesia se potest adversus Ecclesiam quadragenaria præscriptione tueri." Ita etiam multa alia capita ejusdem tituli. Porrò consuetudo contra Canones, merito dicitur contra Ecclesiam, cum sit contra ecclesiastica jura. Et verò quando lex requirit ut consuetudo sit legitime præscripta, omninò censenda est respicere ad regulas præscriptionum.

E contra non minus probabiliter, ne plus dicamus, multi doctores, ut Delugo, Lessius, Reinffenstuel, alique quos citat et sequitur Schmalzgrueber, de *Consuetudine* n.º 10, rejiciunt hanc opinionem, quia in capitulis citatis tituli de *Præscriptione*, agitur de modo præscribendi in præjudicium alicujus Ecclesiæ bona temporalia, vel quædam jura quæ tanquam bona immobilia considerantur: leges autem Canonice non sunt ejusmodi bona. Alioqui, cum dicitur cap. *Cum vobis*, 14, de *Præscript.*: "Contra Romanam Ecclesiam quæ gaudet privilegio specialiter, non nisi centum annorum præscriptio locum sibi valeat vindicare;" dicendum foret constitutiones papales non nisi consuetudine in contrarium centenaria abrogari posse; atqui id est contra communem doctorum sententiam, ut inter cæteros testatur Reinffenstuel de *Consuetudine* n.º 107 (1).

(1) Benedictus XIV, de *Synodo*, lib. IX, c. 3, disserens de consuetudine quæ vigeat in pluribus diocesis Gallicæ, ut Episcopi dispensarent in certis gradibus affinitatis, sic ratiocin-

Videtur igitur iisdem doctoribus in materia præsentis legum canonicarum, tendendam esse regulam quàm admittit Jus romanum in præscriptione contra legem civilem. Nam, ut expressè dicitur cap. *Intelliximus*, 1, de *novi operis nunt.* "Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principium constitutionibus adjuvantur;" circa quod passim admittunt canonistæ commentarium Glossæ ordinariæ. "Et ita in causis ecclesiasticis possimus leges allegare, ut etiamsi canones deficient, possit judicari secundum leges (1)." Porrò Juri Romano, titulo de *Præscriptionibus*, conforme est quod consuetudo contra legem civilem, principe ignorante, post decennium prævaleat.

Quidquid admittatur circa durationem temporis, tempus illud debet esse continuum, non interruptum. Quomodo autem interruptitur consuetudo contra legem? Non interruptitur quidem per actus paucorum privatorum; sed interrupteretur si major pars communitatis observaret legem est obligatoriam; interrupti etiam dicitur ab auctoribus, quando superior urget legem, et delinquentes puniunt, aut alio modo publico obsistit consuetudini.

Hæc eadem principia applicat Suaresius iis legibus canonicis quæ censuras decernunt, sive *latae*, sive *ferendæ sententiæ*; ostenditque eas leges posse per consuetudinem omninò abrogari, vel iisdem tali modo derogari ut remaneat obligatio quoad culpam, et auferatur pœna. Fieri enim potest propter multitudinem et frequentiam peccantium, ut postulet prudentia vel legem omninò auferri, vel, lege remanente, pœnam non applicari aut saltem minui. Consuetudo enim et exemplum multorum potest aliquam excusationem offerre peccanti per modum circumstantiæ minuentis. Præterea nec potest tota multitudo peccantium puniri sine magna perturbatione; nec expedit quosdam punire et non alios; quia superior accusaretur acceptionis personarum.

Positis igitur his duabus conditionibus, lex abrogatur, *etiam si superior ignoret consuetudinem*; quia non debent plura requiri, quàm lex canonica exigit. Porrò positus, etc. Et verò ita postulat natura legis humanæ; debet esse accommodata hominum bono. Porrò quando obstinato animo populus perseverat contra legem, non expedit, ut superior obstet; et idem censetur consentire.

In *secunda hypothesisi*, ad introducendam consuetudinem *via conniventia*, si consuetudinem non ignoret superior, nec positivè obsistat, jam cum tanto rigore non sunt urgendæ conditiones expeditæ, sed eo modo qui sufficiat ad indicandum tacitum consensum superioris. Sufficiet consuetudo rationabilis in eo sensu quod superior possit tolerare ablationem obligationis, quod prudenter valeat abrogare legem: porrò contingere potest ut etiam propter malas dispositiones populi, superior rationabiliter possit auferre prohibitionem vel præceptum. Nec requiretur tempus præscriptionis, sed illud tantum quo palam sufficienter innotescet superioris consentire. Jam enim consuetudo non operatur *ex vi juris positivi*, sed *ex vi naturali* quam habet voluntas legislatoris satis indicata: at verò ad hoc indicium nullum est tempus determinatum; res igitur æstimationi prudentum relin-

natur: "Cum talis consuetudo non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollendam et minuenda jura uni competentia Romano Pontifici, præter cæteras condiciones, necesse est ut centum ad minus annorum spatio sine ulla interruptione duraverit." Posset negari quod dicta consuetudo tendat ad minuenda jura Romani Pontificis; sed ex ea ratiocinatione non potest concludi Bened. XIV, expetere præscriptionem centenariam in cæteris punctis Juris communis.

(1) Vide notam XVIII ad prolegomena.

quenda est. Imò si superior ipse non tantum cognoscat consuetudinem, sed publicè eam sequatur, jam nihil aliud requiritur ut innotescat ejus consensus.

*In tertia hypothesisi*, non etiam tam strictè expeti debet tempus legitimæ præscriptionis, etiamsi fortè ignoret superior, quando agitur de lege nova, quæ recen-ter est promulgata, si non sit usu recepta eo quod non observetur, a majore parte subditorum etiam absque causa sufficiente. Licet enim peccent qui legem justam et utilem non recipiunt, lex ea nondum est firmata, siquidem juxta Gratiani axioma communiter receptum: "Leges firmantur, cum moribus utentium approban-tur." (Dist. IV, c. 3.) Porro non idem postulari debet tempus, ubi lex nondum firmata est. Ita juxta Suares et Benedictum XIV communiter tenent theologi. Meritò præsumitur superiorem uti conniventia, et nolle cum tanto periculo com-munitatem obligare.

Undè, ut iterum dicit Suares (lib. IV, c. 17), communis est sententia, saltem tunc sufficere decem annorum tempus; eaque reputetur ordinariè consuetudo *longi temporis*. Imò nullum est Jus quo probari possit requiri id spatium; sed illud sufficit quo satis pateat majorem partem communitatis repugnare observationi legis, legem proindè non esse utilem; undè præsumi potest eam esse revocatam (ibidem).

III. Consuetudo *præter* Jus vim habet legem inducendi, positis debitis conditio-nibus, ita ut *independenter a præcepto expresso superioris*, incipiat obligare. Pro-batur ex C. *In his*, 7, Dist. XI. "In his rebus de quibus nihil certi statuit Sacra "Scriptura, mos populi Dei et instituta majorum pro lege tenenda sunt; et sicut "prævaricatores legum Divinarum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudi-num coercendi sunt."

"Et verò, ait Bossuet, plerique Canones, si rerum originem attendamus, fue-runt primum consuetudines usu receptæ et probatæ; et passim in Decretalibus "conjuncta sunt hæc duo tanquam æqualis ponderis, de Jure atque consuetudine." (Defens. lib. XI, c. II.)

Conditiones autem requisitæ, sunt: primò ut consuetudo sit *rationabilis*; et qui-dem adeò bona et utilis, ut possit esse materia legis, vel a superiore decerni.

Requiritur secundò, ut adhaerit voluntas inducendi obligationem; et, defectu hu-jus conditionis, multæ piæ consuetudines vi legis carent: ut signare seipsum aqua benedicta in ingressu ecclesiæ, recipere cinerem initio jejunii et similia.

Requiritur tertio ut sit a *majori parte* communitatis: quia consuetudo est lex voluntaria quàm sibi imponit societas, connivente superiore, minor autem pars non potest dici nec censi ipsa societas.

Requiritur quartò tempus legitimæ præscriptionis, juxta quod diximus in res-ponsione præcedenti, ex cap. *Cum tanto, de Consuel.* V. p. 89: Nam cum diffici-liùs sit legem inducere quam abrogare, condiciones magis sunt urgendæ.

Quod si superior cognoscat consuetudinem, si videat eam pro lege sumi et con-sentiat, jam non requiretur tempus plenæ præscriptionis, quia tunc vim suam du-cet consuetudo, non tam ex principiis generalibus Juris quàm ex adhæsione et consensu legislatoris. Nec requiritur consensus expressus, ut voluere quidam, sed sufficit tacitus quem leges expresso æquiparant; sufficit *tolerantia approbati-va*. Verum est nihilominus *simplicem tolerantiam* non sufficere ut dicatur con-sensus. "Multa (inquit cap. *Cum jam dudum, de Præb.*) per patientiam toleran-tur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente justitia, non debeant tolerari." Ex circumstantiis igitur, rei utilitate, bono populorum, æstimari debet an sit con-sensus, vel tolerantia.

## § III.

## QUANDONAM LEX CANONICA ABROGARE CONSUECUDINEM CENSEATUR?



Nulli dubium est quod lex Canonica possit abrogare consuetudinem. To-ta quæstio est qualem mentionem consuetudinis debeat facere legislator, ut eam abrogare censeatur. Hæc præscripsit Bonifac. VII. cap. *Licet Romanus*, 1 *de Constitut. in 6*. "*Licet Romanus* Pontifex, qui jura in scrinio pectoris sui cense-tur habere, constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ea men-tionem non faciet, revocare noscatur; quia *tamen locorum specialium et perso-narum singularium consuetudines et statuta*, cum sint facti et in facto consis-tant, potest probabiliter ignorare, ipsis, dum tamen sint rationabilia, per consti-tutionem a se noviter editam, nisi expressè caveatur in ipsa, non intelligitur in "aliquo derogare." Hæc igitur regula non applicatur consuetudini universali, quam utique non potest legislator ignorare. Et hoc, inquit Suares, cum propor-tione procedit in unoquoque episcopatu pro legibus synodalibus; Episcopus enim non potest ignorare loci consuetudinem (*de Legibus*, lib. VII, c. 20.) At verò ex dicta regula, si vigeat in aliqua natione aut diocesi consuetudo particularis, non censeatur per legem universalem latam pro tota Ecclesia abrogari, nisi addatur clausula revocatoria, *non obstante consuetudine*; idque verum esse contendunt Canonistæ, etiamsi consuetudo nondum esset *sufficienter præscripta*; modo sit ra-tionabilis et honesta, quia canon allegatus de hac tantum ultima conditione lo-quitur, non de *præscriptione*, imò supponit consuetudinem *in facto* consistere. Addunt insuper multi canonistæ ubi lex dicit *non obstante consuetudine*, hanc clausulam non sufficere, si agatur de consuetudine *immemorabili*, nisi fiat de ea circumstantia mentio expressa (1).



## ARTICULUS VI.

## DE PROMULGATIONE LEGUM ECCLESIASTICARUM (2).

## I.

Ecclesiasticæ Constitutiones, ut vim legis adquirant, promulgentur necessum est. *Leges enim sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab om-nibus debent, ut universi præscripto earum manifestius cognito, vel inhibita de-clinent, vel permissa sectentur: Leg. IX. Cod. de Legib.* Hinc S. Thomas *Prima Secundæ Q. XC. art. 4. in Corp.* sic ratiocinatur: *Lex imponitur aliis per mo-dum regulæ, et mensuræ. Regula autem, et mensura imponitur per hoc quod adplicatur his, quæ regulantur, et mesurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi oblineat, quod est proprium legis oportet quod adplicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent: talis autem adplicatio fit per hoc, quod in no-titiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione: unde promulgatio ipsa necessa-ria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem.* Unde Innocentius I. ignoscen-dum duxit clericis, qui in diaconio, vel presbyterio incontinentes fuerant, ubi no-

(1)  Civilibus nostris legibus eadem vel similia requiruntur, ut consuetudo vim legis habeat, et vigeat, non tantum cum lex deficit; sed etiam contra legem oppositam, vel ut legem dubiam authentice interpretetur. Vide igitur legg. I, II, III, IV, V, et VI, tit. 11, Part. 1. 

(2)  Integer hic articulus excerptus fuit ex L. Selvagii opere, cui titulus: *Institutio-num canonicarum libri tres.* 

vam Siricii Papæ constitutionem in eorum provincias non commease constiterit: *Can. II. Dist. 82.* Patet igitur promulgationem omninò requiri, ut novæ constitutiones roboris firmitatem consequantur.

II. Promulgandi formam quod spectat Justinianus Imp. *Novell. LXVI. cap. I.* constituit, ut novæ Sanctiones non modo in Urbe principe, verum et in provinciis indicerentur. Hinc *Novell. VI. in Epilog. prope med.* leges pro disciplina ecclesiastica per semetipsum latas a singulis Metropolitibus, et Episcopis in propria ejusque Ecclesia promulgandas jussit (\*\*). Id quod probasse videtur Siricius P. in *Epist. ad Hicm. Tarracon.* et Leo M. in *Epist. ad Turibium Asturic.* cujus ad omnes Hispaniarum Episcopos Decretales Epistolas deferendas voluere (\*).

III. Et quidem istiusmodi consuetudo semper in Ecclesia servata est, tum quod ad conciliorum decreta, tum quod ad RR. Pontificum constitutiones. Quare controversia de penitentia, et reconciliatione lapsorum in Syn. Rom. an. 253. definita, litteræ datæ sunt ad Episcopos universos, ut totius orbis catholici Præsules observarent, quod a Cathedra Petri etiam vacante præceptum fuerat: S. Cypr. *Epist. 52. ad Antonianum.* Tum Synodus Nicæna litteras encyclicas dedit ad Episcopos, qui Synodo non interfuerant, decreta, et gesta synodalia significantes: Socrates *Lib. I. Cap. 9.* Eundem morem in reliquis etiam conciliis præsertim œcumenicis servatum produunt Acta conciliorum in *Collec. Labbæana (\*\*).* Quocirca, ut Sextæ Synodi Generalis Acta Hispaniarum Episcopis innotescerent, et vigoris manerent auctoritate suffulta, Litteræ missæ sunt Leonis II. Videsis Syn. Tolet. XIV. *Can. II (\*)*. Demum Concilii Tolet. XVI. canone VII. decernitur (\*\*): *Unusquisque Episcoporum... infra sex mensium spatium omnes Abbates, Presbyteros, Diaconos, atque Clericos, seu etiam omnem conventum civitatis ipsius, et cunctam Diœcesis suæ plebem aggregare nequaquam moretur, quatenus... de his, quæ eodem anno in Concilio definita extiterint, plenissime notiores efficiantur (\*)*. Idem confirmasse videtur concilium Lateranense IV. ubi præcepit, ut per locorum Præsules evulgaretur lex, quæ continetur in *Cap. 13. de Penitentis, et Remissionibus.*

IV. Hinc Card. Cajetanus, Suaresius, Panormitanus, alique apud Petrum de Marca *Lib. II. de Conc. Cap. XV. n. 2.* docent, constitutiones ecclesiasticas in singulis provinciis, locisque ita indicendas, ut earum notitia moraliter valeat ad universos populos, quibus feruntur, pervenire.

V. Jam verò licet in Ecclesia hæc semper vigerit consuetudo; mos tamen paulatim Romæ inolevit novas evulgandi constitutiones pontificias tantummodò per adfessionem transumptorum ad valvas Basilicarum Urbis, et Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque generalis in monte Citorio, et in acie Campi Flori, ea adjecta clausula, qua scilicet declaratur *omnes ubique fideles sola publicatione romana ad Pontificias exsequendas constitutiones perinde obstringi, ac si personaliter singulis significata fuissent.* At clausulam istam in voluminibus Juris canonici omninò ignotam observant plures Jcti, qui Justinianæam promulgationis formam ad legis valorem requirunt. Defendunt verò alii, maximè canonistæ ex eo, quod ea clausula promulgationem in Provinciis non excludat, adposita tamen de stylo ad adfectatos ignorantia prætextus removendos.

VI. Denique facta legitima, ac sufficienti promulgatione lex generalis sive pontificia, sive regia obligare incipit post bimestre, nisi aliter Legislator expressè

edixerit: *Novella LXVI. cap. I. §. 2.* Idque Jure etiam Neapolitano obtinere plures Tribunalis Mixti sententiæ, ac Regis Caroli Borbonii sanctiones demonstrant. At statuta Synodalia intra angustum unius Diœceseos ambitum servanda obligant *statim* a promulgatione: Benedictus XIV. *de Syn. Diœces. Lib. VIII. cap. 4.* Verum hoc *statim* morale est, non phisicum, prudentis arbitrio æstimandum pro locorum hominumque circumstantiis.

VII. Promulgata lege exspectanda non est arbitraria populi acceptatio: utraque enim sive ecclesiastica, sive civilis potestas a Deo est; nec pendet a populi arbitrio sæpè in partes scisso, ne Resp. labatur in anarchiam. Quod autem Gratianus ait ad calcem can. III. dist. 4. *Moribus utentium leges confirmari;* id de quadam *facti* duntaxat confirmatione accipiendum est, haud verò *Juris*: scilicet exclusa contraria consuetudine, qua legi derogari posset. Huc facit Thesis ab Alexandro VI. Decreto an. 1665. n. 28. proscripta: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

*De Placito Regio in executione legum Ecclesiasticarum.*

VIII. Placitum Regium, sive Regium *Exsequatur* est *Decretum Regis, ejusque sanctioris consilii, quo vel sinit, vel jubet Sedis Apostolica, vel Rom. Curia Decreta, Decretales, Rescripta in suis ditionibus publicari, ac exsequi.*

IX. Et sanè eò tendit Regium Placitum, ut ratione ad populi mores accommodata ea removeantur obstacula, quibus Litterarum Apostolicarum exsecutio vel impediri, vel retardari posset. Hinc Ecclesia ab incunabulis ferè legum suarum exsecutionem Imperatoribus commendavit. Exstat Constantini M. constitutio, qua non modo petentibus, ac plaudentibus Episcopis, Synodi Nicænae Decreta sua auctoritate firmavit; verum et anathema adversus Arium prolatum infamiae pœna auxit, *Porphyrianosque* vocari, id est Christiani nominis osoros, et hostes, Arianos jussit, eorumque libros publicè concremari: Socrates *Lib. I. cap. 6.* Tum Patres Concilii Cpolitani I. Epist. ab Theodosium: *Rogamus, inquit, tuam clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii Decretum.* Patres Concilii Ephesini *Act. V.* Theodosium ad confirmanda Concilii Decreta sic invitant: *Jubeatis, ut ea, quæ constituta sunt ab Œcumenica, et Sancta Synodo ad pietatis confirmationem contra Nestorium, et ejus impium dogma suum robur obtineant adsensu vestræ pietatis stabilita.* Patres chalcedonenses datis epistolis ad Marcianum, et Pulcheriam synodalia Acta referunt, ac Decretorum petunt confirmationem: id quod Marcianus tribus evulgatis edictis præstitit pœnis in clericos, et in laicos adjectis, qui illis adversari auderent. Concilium Copolitanum II. Justinianus *Novella XLII. in Prefat.* pluribus confirmat; tum concludit Mennæ Patriarchæ præcipient, ut ad Metropolitanas suæ Diœceseos mittat, quæ *Sacerdotio visa sunt, et ab Imperio confirmata.* Constantinus Pogonatus *Epist. ad Leonem II.* Synodi VI. Decreta more veterum Principum suo edicto se confirmasse scribit; id quod adeò gratum fuit Leoni, ut in hæc verba Constantino gratulabundus rescripserit: *Synodali igitur sententia, et Imperiali Edicti censura, tanquam ancipiti spiritus gladio, cum priscis hæresibus etiam novæ pravitatis error expunctus est.* ¿At quid plura in re ecclesiasticis monumentis adeò testata? (\*\*). Ita sanè. ¿At cur silentio prætereundæ sunt Leges illæ, quibus Gotthorum Reges Reccaredus, Erviggius, Egica, Toletana concilia confirmarunt? (\*) Eo igitur

tur primo tendit Placitum Regium, ut Litteræ Apostolicæ feliciter, ac facilius exsequi possint.

X. Hac accedit et alia ratio, ne scilicet falsæ Apostolicæ litteræ executioni mandentur non sine Sedis Apostolicæ infamia, ac populi offendiculo. Cautum id in pluribus Regnorum Constitutionibus ad augmentum Ecclesiasticæ Majestatis, et securitatem populi Christiani.

XI. Nec abludit et ea ratio, quod aliquando per obreptionem, vel subreptionem quædam sive decreta, sive rescripta sollicitentur, quæ deinde executioni mandari non possunt sine evidenti partium detrimento, ac notoria justitiæ offensione.

XII. Adhæc ipsi Pontifices, ut rescribatur permittunt, si quandoque in publica jura, et privilegia illa impingant; ut monuit Pius II. Epist. ad Carolum VII. Gallie Regem: *Quod si in aliquo præjudicatum tuis juribus putas, parati sumus tuæ celsitudini justitiam cum omni benignitate administrare.* Eadem habet Alexander III. cap. 5. de Rescriptis: *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes.* Et infra: *Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam præendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Et Cap. 6. de Præbendis idem R. Pontifex sic scribit: *Si mandatum nostrum pro alicujus provisione receperis. . . æquanimiter sustinemus, si pro ea mandatum nostrum non duxeris exsequendum.*

XIII. Quid quod romani Pontifices aliquando intercesserunt, ut perniciosæ civilis potestatis leges rescinderentur? Hinc Zenonis Imp. *Henoticon* Felix Papa, Heraclii *Ectesim* Severinus, et Joannes IV. Constantis *Typum* Martinus I. damnarunt; et Gregorius M. Mauriti legem de arcendis ab monachismo militibus tum improbavit, tum apud imperatorem datis litteris egit pro obtinenda legis moderatione: scilicet, ut cum delectu milites ad vitæ monasticæ professionem admittantur. Eadem fermè ratione; ne scilicet inveteratæ locorum consuetudines, privilegia, instituta convellantur, neve in publica commoda offendatur, Rom. Curia decretis aliquando Principes intercedunt; non quidem, ut ipsi de causa cognoscant, aut jura expendant, sed ut iterum sub rectissimis Sedis Rom. oculis res subjiciatur, ac novo adhibito examine, novisque expensis rationibus maturius de ea decernatur.

XIV. Hæc forte animo volvens Sapientissimus Romanus Pontifex Benedictus XIV. ac precibus etiam flexus nostrorum Principum, inter secretos novissimi concordati articulos *Regii Exsequatur* consuetudinem recenseri passus est; id simul cavens, ut mandata Apostolica quam citissimè per regios ministros expedirentur.

(\*\*) XV. Apud nos nullum Breve, nulla constitutio, Rescriptum nullum Sedis Apostolicæ executioni mandari potest, quin prius Placitum regium, vulgò *Pase* obtineatur; iis exceptis, quæ emanant a Sacra Pœnitentiaria pro foro conscientia. Ita tamen, ut I. Brevia pro Indulgentiis, et pro recitandis Officio, et Missa in alicujus Sancti honorem, Generali Sanctæ Crutiatæ Commissario exhibenda sint: *Leg. XXXVII. n. 6. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.*

2. Ea verò in quibus conceduntur a dataria dispensationes ad contrahenda matrimonia, et ordines suscipiendos, vel privilegia ad oratoria privata, et id genus alia, quæ vocantur gratiosa, Episcopo Diœcesis exhibenda sint, ex *Leg. XXXVII. n. 7. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.*

3. Reliqua verò et hæc ipsa, quæ dicuntur gratiosa, quum vacat Sedes Episcopalis remittenda sint primo gubernii tribunali supremi Castellæ Senatus, ex præf. *Leg. XXXVII. n. 8.*

4. Bullæ quævis, quæ regium respiciunt patronatum supremo cameræ tribunali examinandæ exhibeantur, ubi quodlibet de ipsarum retentione dubium exortum discutitur, et terminatur: *Sanction. VII. Tit. VI. Lib. I. vulgò Autos acordados.* Lites verò de cæterarum Bullarum retentione ad tribunal ita adpellatum *Justitiæ* advocantur: *Sanct. XV. cap. 25. Tit. IV. Lib. II. vulgò Autos Acord.*

5. Dispensationes ab obtinendas præbendas ante ætatem a Jure præscriptam, ipsius Castellæ Senatus nomine a regio procuratore supplicanda sunt: Ex regio Decret. 30. Maii an. 1771.

6. Adde, quod ex regio decreto a Supr. Castellæ Senatu edito 11. Septembris an. 1778. pro quibuslibet gratiis ab Apostolica Sede impetrandis, iis exceptis, quæ arctatis et a Sacra Pœnitentiaria conceduntur, ad suum unusquisque ordinarium accedere debet, ad quem, precibus una cum sui ipsius testimonio ab supremum regni ministerium missis, indulta regio nomine expedita, et in supremo Castellæ senatu perscrutata, remittentur (\*) (1).

## CAPUT SEXTUS.

### DE REGULIS JURIS.

Ut sunt in philosophia quædam axiomata seu principia generalia, in medicina aphorismi, quibus innumeræ quæstiones solvuntur, ita in Jure sunt etiam plures regulæ magni momenti, quæ fundamenti locum tenent. Collecta hujusmodi axiomata edidit Gregorius IX. et Bonifacius VIII. ad calcem Decretalium et Sexti. Quisquis eas regulas communes expenderit; videbit plerasque convenire omni legum generi; undè earum expositio relinqui potest iis qui tractant *de Lege* in communi. Nos quasdam tantum sententias quæ vel magis propriæ sunt Jure canonico, vel quas præ oculis habere magis necessarium est, summam expendemus, prout spectant 1.º ad interpretationem legis canonicae, 2.º ad effectus ejusdem, 3.º ad privilegia, et ad *dispensationes*.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE REGULIS INTERPRETATIONIS.

Interpretatio in genere est explicatio congrua et clarior alicujus vocis vel propositionis.

Interpretatio spectari potest vel *in se*, prout est expositio, vel ex parte *proferentis*.

I. Interpretatio *in se spectata* duplex distinguitur. Prima fit per modum *declarationis*; dicitur *interpretatio litteralis, et improprie dicta*, et nihil aliud est quàm expositio verborum per alia verba clariora; ut quando exponitur *verbum, vel verbi sensus seu constructio, quasi grammaticaliter ad literam*. Ita hanc definit Cap. *Exiit qui seminat*, 3. de *Verborum signif.* in 6.

Secunda fit per modum *suppletionis, diciturque interpretatio proprie dicta, et*

(1) Vide notam XIX ad prolegomena.